# QVÆSTIO MEDICA

## CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

### IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVI. FEBRVARII.

M. PETRO YVELIN, Regi ab Interioribus Consiliis, Doctore & Primario Serenissimæ Aurelianensium Ducissæ Medico, Moderatore.

*An Fructuum Esus insalubris?*

VIVENDI ut nascendi, homini quàm bruto deterior conditio, utrisque utraque stirpibus melior, quæ mollibus, obstetricante cœlo, favoniis de gentili surgunt glebâ, parilesque succos, quos non inquinat ullius autæ syderisve maleficium, non corrumpit aut perdit alieni vis & onus excrementi, de terræ sinu, errore nullo, sibi quæque continenter sugunt, facilique nec ideo minùs pretioso roris gratuiti missu, parasitæ fœliciùs vegetant: unde illis vita longior suaviorque perennat, etiam inter assidua dispendia restibilis fœcunditatis, laborat rariùs, vix tandem ponitur, quàmquam ex communi caducorum sorte pleniùs exposita causarum exterarum odiis immortalibus, quibus dùm penitiùs flagrat acriùsque urgetur reliquum genus viventium, in lucem velut in aciem & in procinctu, robusti corporis loricâ bene munitum illicò prodire Natura voluit, ne-ve ab iis quæ huic sunt prima, primis à carceribus aberrare posset, pro mente & ratione λόγον ἔνυλον, quo regeretur, insevit, ac suopte impetu absque alio doctore dedit sequi. Vni visa eadem homini noverca, qui nudo rimosoque corpusculo circumundique statim facturus vitium, ceu exarmato navigio naufragus, occiso veriùs quàm nato similis, utero abdicatus, minor mentis exulat, à querelis orsus vitam, cui una & æqua semper lex & norma cùm sit cæteris, illi uni fit disciplina, privatis comparanda periculis, redimenda damnis: quippe si bene calculum ponas, prima potiorque cura vel injuria valetudinis in ventre est aut sub ventre.

ALIMENTI namque nulla licet nulli viventium πρὸς τὸ εὖ necessitas, nulla tamen sine alimento vita, nulla sine exquisitâ hujus ratione valetudo servanda aut mutanda. Illud verò viventi cuique suum non modò, sed partibus partiumque particulis totius similitudine substantiæ germanum, unde uti medicamentum, venenum, ita nec idem eidem alimentum: Id in Elemento nulli nullum viventi, mixtum omni, uni vegetans animali, ὄγκῳ & δυνάμει utile noxium, commodum incommodum, necessarium, his siquidem duobus stat aut perit triplex bonum valetudinis, integritas, constantia, & vigor in vitæ munia pertinax; ubi scilicet justa, libera, sincera & plena hujus commercia agitat ac tuetur Natura victrix, caduca corporis non solùm suffulcit, sarcit ruinas, sed & animæ lares ampliat, supremum ac singulare votum bonumque sanitatis addit εὐεξίαν, illamque ceu vitæ melioris palladium (quod prima nescit ætas, ultima perdidit, colit media) intestino subducens incendiario & decoctori, fatalis vadimonij diffindit diem. Secùs protinùs cuncta in pejùs ruere & retrò sublapsa referri necessum est, si mole aut qualitate superet aut redundet, etiam amicâ, nedum inimicâ, utrâque oneri & labori non operi futurâ animæ vegetatricis aut principis. Quamobrem dotes una illa meliùs implet omnes & exhibet alimonia, quæ utrâque sui parte alendæ substantiæ cognatior, puriorque excrementis, coquenti, secernenti, deportanti, unienti Naturæ omnino facilem se præbet: ex quo vernaculâ peregrinitate, tum etiam cùm juvat, haud plane innocens est illa quæ aliquid celat & importat φαρμακῶδες.

NATVRÆ justissimæ artem observa, æquo illa divortio viventia & alimenta viventium ita disparavit, ut sibi invicem mirâ adoptione & connubio conjuncta variè respondeant, genere quidem omnibus eadem, quia & fine, specie verò unis stirpibus sic definita, ut almæ parenti nexæ, alio-ve sub axe, nec totæ licèt usquam transitutæ, inveniant simile, animantibus verò ut de virgultis, herbis, frugibusque faciant: carnivora namque vel omnivora omnino pauca, sive quia vexat & flagellat horum ingluviem proprij pabuli penuria, vel addicta vitæ prædatrici fera indoles, sive hiantem semper famem vis avidi caloris sollicitet in εὐθυντέρεις. At enim rerum universi dominus homo, quasi de Naturæ prytanæo publicè alendus. Vnus omnium annonam, ne quid non ventri natum videatur possidere, ligurit, ægrescente fastidio, gulâ peregrinante pabulatur cum brutis, metit asparagos, de sterquilinio primulùm emergentibus boletis inhiat, quò ventris lascivientis uber alat per exenteratæ matris viscera tuber quæritur, plantarum pascitur fœturâ, succis mitioribus necessario alimento scitus immiscere delicias: arborum carpit fructus, seu illi nudo semine, seu membranis, utriculis, lobis, siliquis vestiti & inclusi, seu osseo, testaceo, ligneo, coriaceo, carnoso, uvido, medulloso conditi pericarpio: quin etiam erudito gustu cibi saliva censu contralicetur senatorio. Itur in exequias gulæ emortuæ, ceu ad pollincturam lingua speciosissimo tingitur Embammate, strue aromatum mediis rogus faucibus accenditur, cremantur exta, litatur fructibus, insolatis, siccatis in brumam Tarsensi invento, elixis, assis, melle saccharo conditis, quo hisce temporibus non minùs eleganti quàm novâ industriâ selectæ castaneæ, mox contumulandæ, glaciatâ incrustantur sandapilâ, in surdi gratiam palati veriùs, quàm in præsentissimum, ut fabulantur, diarrhoeæ aut dysenteriæ auxilium, frustra semper atque irrito conatu in hisce affectibus, ut & in aliis tentatum, nisi cum ad miraculum sapit fortunæ temeritas: Et certè per hæc omnia artis dulciariæ ingenia absorbentur brevi voragine vivifici Naturæ thesauri, ut gratiùs noceant, faciantque Mortæ de Pomonæ deliciis.

NEQVE enim curandæ valetudini momenti quicquam jure colloces in fructibus, seu instaurandæ solidæ, humidæ, spirituosæ studeas substantiæ, seu faciendæ caussariis Medicinæ vaces: illa seminalis succi crassamentum, ista τοῦ ἰκμαλέου ἀρχεγόνου pinguis & aërei portio, hæc contubernalis & consors insiti caloris quantò ad viventis ortum tantò ad geniti alimoniam potior, is namque spiritus, Naturæ vires, & magna potentia solus, Naturæ anima, animæ vita, quæ intus agit, alit & sospitat cuncta. Miraris de brevi punctulo minutuli seminis tanta tamque subita stirpium incrementa, de fundo sterili robusto caudice altùm surgentes, patulas tamis arbores, soli jejunia cœlo pascunt illæ, & altore ætheris spiritu, quo carere neque inanima sustinent, extento vivunt ævo: Hac verò bonitate & gratiâ, tum ὄγκῳ cum δυνάμει excidunt fructus omnes: ὡραῖοι siquidem & generosi, ob tenerum humidumque pericarpium, fugientis succi, ipsis in manibus, etiam de fano Cereris Mycalessiæ mox deprompti, consenescunt: ægræ maturitatis gratiam temporariam, alimentique pauperculi exile & precarium bonum, à sole, putri situ, & fermentatione expectant, quod etiamsi consequantur, nihilo seciùs tamen caloris nostri coacescunt deliquiis, ventriculo, & hypochondriis intestinâ seditione obmurmurantibus, æstu, ructu, flatu plurimo graves, donec crudi succi superantis alluvione vi viam invenerint, subductâ simul alibili portiunculâ, partibus famelicis immeritâ Tantali pœnâ mulctatis. Nec minùs negotij aut damni inferunt solidiore pericarpio ἀκρόδρυα & ὀπώρα, laboriosâ coctione, utilis ejusque durioris annonę transvectione operosâ & segni, plurimæ inutilis saburrę decessione. Hinc & inde mala struuntur præsentanea, plerisque majora in succo, aliis in pericarpio, ut crudis, immaturis, vetutescentibus, quàm insolatis, maturis, hornotinis: crescit ὡραίοις coctura maleficium, conditurâ omnibus, parciore horum illorumque usu, ad gratiam cæterùm indulgendo aut ad medicinam, vitium minuitur, non tollitur, etiamnum valenti, durisque messorum ilibus, nedum ægro.

QVÆ primos hominum καρποφάγους læsit primum ἰσχυρὴ καὶ θηριώδης δίαιτα, prudentior tandem facta est magistra vitæ salubrioris, dum glandes nutrices, inopis ac feræ sortis, aristis mutavit, carnes suffecit fructibus: suis quippe doctior cautiorque malis didicit quantum ab agresti illo & rusticano victu in corpus unà animumque redundet noxæ; utrumque uti beat & fovet sanguis integer, splendor siccus puritasque τῶν ἐνορμώντων, horum illiusque plenus ac liber commeatus, sic malè afficiunt, pejùs excipiunt quæsita de fructibus alimenta, primis ultimis-ve mensis usurpata, vel intermistis castigata pulmentis: hinc ventris stupor, & ab eo vasorum necnon ἐνορμώντων manat reses in certam perniciem impuritas, omniumque tristi specie seditiosa confusio. Rudes fallis & sui nescios, dum tuæ artis ipse rudis falleris, si putas liberali esu fructuum plus æquo avidum ignem viscerum restingui, temperari ad salubris vitę modum, æstum comprimi ichoris acerrimi per venarum καυσῶσιν, in viscera, membranas, articulos, corporis habitum exundantis. Ecce simili victu Æni incolæ γυναικέες καὶ σκελέων ἀκρατέες facti: vires optas? Nervos Typhoni fregit καρποφαγία: salutis sollicitior morbum anxius reformidas? Biantem pugilem, cucumeris, peponum, lactis usus cholericum extulit; ut in his non frænum sed œstrum bilis latere intelligas, ubi scilicet inustâ ἀσιτίας labe, indigesti succi vis plurima ζυμώσει flammam conceperit, intempestivo tunc nimiumque temeratio domestici elementi, nedum glaciatæ potionis usu, altiùs in viscera meatusque compressam, inde τύφος tertianâ aut quartanâ febre comite, oculis dolentibus, vultu ἀχρώδει, cachexiæ, hydropis, matasmi prænuntio, æstate venit pedibus pulmoneis, ni maturè diarrhoea aut vomitus antevertterit: sæpe non aliunde viris aut viripotentibus veneris θηλυτόκον, vel funeratæ, audita nænia, debilitato scilicet aut extincto, velut humo palustri, vigore geniture; ut suo merito dicantur fructus νεκύων βρῶμα, voluptuariumque Veneris juxta ac Minervæ venenum, à cujus sacris longe semper erit sine fumo Pomonæ parasitaster, arcadicâ stoliditate inter fructus temulentâ, insulso & bliteo ingenio, cui plus sapiat citrulli quàm cerebri medulla, novâ, & in singulare ἀηδέων καὶ ἰδιογνωμόνων monimentum, æternum duraturâ ἀποκολοκυνθώσει consecranda.

*Ergo Fructuum Esus insalubris.*



Proponebat Lutetiæ GVILLELMVS PETIT, Constantiensis, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.